

NUMMUS CASTRENSIS:

CUSUS DURANTE OBSIDIONE

Cremonensi, Anno Christi 1526.



LEMENTIS VII. Pontif. Max. Francisci primi Galliarum regis : Venetorum & Principum Italiae confœderatorum copiae , cùm aliquandiu frustra Mediolanum obsedissent, Helveticis & Medicæis copiis in castris Mediolanensibus relictis , Malatestam Baleoneum Perusiensem cum octo millibus Italarum ad obsidendam Cremonam miserunt,

qui centum tormentis majoribus per triduum creberrimis ictibus urbem conquassans, maximam murorum ruinam effecit. Erat in urbe Conradinus Glurinenſis Cæsaris præfectus, cum mille Germanis, & quingentis Hispanis, qui nocturna excursione in castra hostium irruentes, stragem maximam edidit: signa tredecim militaria in urbem retulere. Itali, etiamsi per ruinam murorum maximus pateret aditus, impressionem tamen facere sunt averſati. Hæc suorum timiditate Julius Monferonius, & Malatesta commoti ipsimet per ruinas hostes adorientes, reprimuntur. Julius, cum multis aliis fortiter pugnans occumbit. Damno hoc accepto Itali ducem Urbini cum toto exercitu, in auxilium vocare coacti sunt: quem Germanorum militum virtus eum in stuporem metumque rapuit: ut non homines, sed Cacodæmones in urbe esse diceret. Obsessi tandem pulveris tormentariorum, & aliarum rerum coacti inopiâ, ubi vitam & salva sua omnia pacti fuissent, explicatis signis urbe excedunt, eandemque hosti relinquunt.

Durante obsidione moneta, quam vides, inter manus militum versata fuit. Ada-

mus Reusnerus.

